



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

II. Investigatur ratio hujus consuetudinis. Non sussicit quod vulgo jactatur, licere cuique jurisdictionem suam defendere pœnali judicio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

*recta distributione reddantur.* Si autem Episcopi jurisdictionem secularem usurpare contendant, lite per hanc appellationem ad Curias devoluta, ab invasione arcentur, multa indicta, & bonis captis. Eo jure olim usos esse Principes nostros testatum fecimus superioribus capitibus. Quem morem secuti sunt posteri; ut passim docent veteres Pragmatici, Petrus Iacobi, Masuerius, Aufre-rius, Benedictus, Boërius, Chassaneus, & omnes recentiores.

L. 1. ff. Si quis jus  
d. centi non ob-  
tinet. l. ult. ff. de  
jur. dicit.

II. Hujus consuetudinis ratio exploranda est. Nec enim sufficit id quod vulgò jac-tari solet ex Ulpiano, omnibus magistrati-bus concessum esse, secundum jus potesta-tis suæ, jurisdictionem suam defendere pœ-nali judicio, cum excipi possit ex Paulo, ex-tra territorium aut supra jurisdictionem suam jus dicenti, impune non pareri. Scilicet pœna à judice infligi non potest ei qui sibi subditus non est. Iudices etiam ec-clesiastici, ratione habita jurisdictionis ec-clesiasticæ quam exercent, à regia jurisdic-tione non pendent, cum auctoritates istæ societatis communiōe quadam inter se vin-ciantur potius quàm necessitate imperij quod alteri ab altera subeundum sit. Scio quidem rationem istam ab Aufre-rio & aliis Pragmaticis juvari solere ex iis quæ notavit Glossator Decretalium, nempe delegatum judicem potestatem sibi mandatam in eos porrigere posse qui alioqui rescripto suo non continentur, si jurisdictionem suam impe-diant: quia, ut inquit Iuriconsultus, jurisdic-tione data, ea quoque concessa videntur sine quibus jurisdic-tio explicari non potuit. Hoc enim locum habere potest adversus eos qui à mandantis imperio pendent, ita ut in eos quoque partes suas commississe videri possit.

Glossa in c. 1. de  
offic. deleg.

L. 1. ff. de ju-  
risdict.

¶ 1. Libert. c. 7.  
n. 22.

III. Nec potior est illa ratio quam è ju-re civili haustam protulere Guillelmus de Nogareto & Guillelmus de Plesseiano, à quibus eam haussisse videretur Petrus Iacobi, scilicet actione negatoria in rem agere posse eum cujus impeditur jurisdic-tio, atque adeo per modum executionis res bonæque Cleri-corum eo casu capi posse. Etenim in servitu-tibus, quæ sunt jura incorporalia, actiones negativæ in rem scriptæ proditæ sunt, qui-bus is qui possidet, intendit adversario jus non esse, exempli causâ, utendi fruendi, quæ ideo in rem dicuntur, quòd in rem de qua est controversia diriguntur. Eodem exemplo, concedam quidem ad tuendam jurisdictionem suam, eum qui possidet jus il-lud incorporale, negatoria actione uti posse, quæ in rem scripta dicitur, quia jus non esse adversario contendet in hoc negotio

jurisdictionem suam exercendi; sed ideo non competet jus actori ea actione res alias persequendi, vel bona capiendi.

IV. Superest ergo ut dicamus hanc con-suetudinem jure illo naturali niti quo de-fensio rei suæ unicuique permessa est, cum per vim auferatur. Etenim cum natura non patiat ut aliorum spoliis nostras facultates augeamus, eadem natura duce vim illatam vi repellere licet, dum tamen modus incul-patæ tutelæ servetur. Quod in privatis qui-dem controversiis post constituta judicia per magistratum publicè fieri debet, quan-tum res ipsa patietur, ne sit occasio majoris tumultus faciendi. Vnde vis rectè dicitur à Iuriconsulto, quoties id quod sibi quis de-beri putat, non per judicem reposcit. Ceterum quod attinet ad Reges aut Respublicas, manu & ferro res suas tueri & repetere solent ab iis qui priores injuriam intulerunt, ita ut non solum conferta acie, sed etiam translato in provincias hostium bello, ur-bium expugnatione, & agrorum depopula-tione, copias hostiles suis finibus depellant. Quod defensionis jus non proficiscitur ex hostium iniquitate, cum sæpe accidere so-leat ut bellorum principia & causæ satis probabili utrinque ratione nitantur, sed ex eo jure descendit quod natura hominum mentibus inseruit, ut se suæque præ aliorum commodis habeant commendatiora. Hoc jure utuntur Reges in Republica Christiana adversus auctoritatem ecclesiasticam, quan-do de jurisdictione laica controversiæ oriun-tur. Etenim vim jurisdictioni seculari illa-tam vi contraria repellunt, bonæque adver-sariorum legitime occupant, donec ab injuria inferenda cessaverint. Quæ ratio agen-di eò justior est, quòd ea res imperio Prin-cipis derinentur, quæ alioqui ejus auctorita-ti subjectæ sunt, nempe bona immobilia Clericorum & Ecclesiarum: quamvis occu-pationis illius justitia non ex eo capite pen-deat, sed ex defensionis jure. Hanc rationem præcipuè expendit Philippus IV. in com-monitorio quod datum est Episcopis Seno-nensi & Autissiodorensi, de quo dixi capite xviii. superiori. In eo jure defensionis exercendo omnia media licita pro imperio suo Princeps adhibere potest; ut docuit olim Ioannes Parisiensis Theologus, & è re-centioribus Victoria Hispanus, & alij quam-plures.

V. Video quid reponi possit, scilicet idem jus comperere jurisdictioni ecclesiasticæ, ut censuris vim sibi fieri prohibeat à judice se-culari. Quare hoc argumento nihil confici in gratiam Principum, quod non trahi pos-sit in gratiam Episcoporum; unde conten-

Item, Paul. de  
offic. mag. ff. de  
jur. dicit. c. 1. ad  
videndum si  
de jurisdic-tione  
sec. 7. ff. de  
jurisdic-tione